



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

De prohibita beneficiorum pluralitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**



*De prohibita beneficiorum pluralitate.*

## T I T. XXXI.

**Q**uod supra diximus acquisitione beneficii secundi, prius esse vacans, patitur distinctionem. Aut enim beneficia sunt, supremam dignitatem annexam habentia; ut *Archiepiscopatus*, *Episcopatus*, &c. Aut dignitatem inferiorem: ut *personatus*, & beneficia curam animarum habentia: Aut sunt simplicia; ut *omnia alia*.

Si sunt supremam aut inferiorem dignitatem annexam habentia; assumendo secundum, sine auctoritate Papæ; utrumque, cum ea; primum ipso facto vacat: *c. quanto. 3. de translat. Episc. c. conquereute. 6. de cleric. non resident. proinde alii conferri possunt. c. quia in tantum. 5. de præbend. & c. ordinarii. 3. de offic. ordin. in 6.*

Si ea possidens pertinaciter retinere contenderit, ad aliud quodcunque beneficium Ecclesiasticum admitti, ut indignus, non potest. *Extr. Execrabilis. c. cum singula. 32. in princ. de præbend. in 6.*

Nisi posterioris beneficii fructus percipere non possit, puta quia alicui ad certum tempus concessum, tum enim primum quod habebat, vacare non censebitur. *c. si tibi concessio. 26. ubi Gl. eod. in 6.*

*Simplicia si sunt beneficia; rursus distinguendum: Aut sunt compatiblea: qualia sunt (ut vocant) sine titulo, aliàs velut Commendata; ob quorum scilicet possessionem quis numero Clericorum illius Ecclesiæ, in qua est beneficiatus, non adseribitur. c. 3. & c. fin. 21. qu. 1. Aut non sunt compatiblea, sed intitulata; ut sunt Ecclesiæ rurales sine cura, vel præbendæ alicujus Ecclesiæ collegiatæ vel cathedralis.*

*Ille quis plura simul habere potest, nisi privilegio, statuto, consuetudine, prohibeatur; non Hæc. Panorm. in 6. cum jam dudum. 18. de præbend. & Gl. in c. dudum. 54. de election.*

Sed



Sed hæc quidem ita obtinent de jure communi; super quo potest dispensare Pontifex solus, si sint beneficia dignitatem annexam habentia; & Episcopus, si utrumque vel alterum eorum sit simplex; modo causa justa subfit.

Ea est personæ dignitas, integritas, scientia, plurimarum rerum usus, nobilitas, utilitate & Ecclesiæ necessitate hoc exigente. *Abb. in c. extirpanda. 30. §. quia verò. num. 43. vers. ex his de præb.*

Ut unus plura beneficia habere non potest, ita nec plures unum. *c. majoribus. 8. c. tua fraternitatis. 20. c. dilecto. 25. de præbend.*

Potest tamen beneficium, si ita sit opulentum, ut duobus victum præbere commodè possit, in duas scindi partes. *c. vacante. 26. eod.*

### De Institutionibus.

#### TIT. XXXII.

**H**Actenus de beneficiorum *Collatione*; restat, ut de *Institutione*, non multum à collatione discrepante loquamur.

Est ea, beneficii juri patronatus subjecti, ad præsentationem patroni, facta translatio.

Instituere possunt Episcopus, Sede vacante Capitulum. *c. 1. de concess. præb. in 6. Abbates Delegati, & omnes jus illud ex consuetudine habentes. Hostiens. §. quis possit. hic.*

Institui possunt personæ idoneæ, nobiles, ignobiles; nullâ contrariâ obstante consuetudine. *c. venerabilis. 37. de præbend.*

Fieri debet Institutio ad præsentationem Patroni, sive veri, sive putavi. *c. 32. decernimus. & c. 31. filius. 16. qu. 7. sive unius, sive plurium, c. 1. 2. 3. de jure patron.* ita tamen, ut is præferatur, si Patroni dissentiant, qui majoribus meritis & plurium consensu adjuvatur. *Abb. in c. quoniam. 3. eod.*

Præ-